

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Egregia pietate & uirtute praedito, D. Hieronymo Vuellero, doctori
theologiae, amico suo, Philippus Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Egregia pietate & uirtute prædito, D.
Hieronymo Vuellero, Doctori Theolo-
giæ, amico suo, Philippus Melanch-
thon S. D.

II, 280.

Et si Ecclesiæ causa longissimam uitam bonis do-
ctoribus optare debemus: tamen obtemperandū est
uoluntati Dei, si quem hinc tanquam ex statione e-
uocet, atq; abducatur: præsertim cum illos sciamus uo-
cari ad immortalitatem, qui sustinent curam & la-
borem docēdi Euangelij. Ego quidem cogitans de
morte Nicolai, sic sum affectus, ut si quando in pa-
triam dimitto amicos. Horum enim discessus & de
charitate patriæ me admonet, & cupiditate quādā
accendit me proficiscendi in loca iucundiora. Sic
mors honorum & piorum admonet me de expe-
ctanda immortalitate: ac desiderium in me exusci-
tat, unā cum illis in illam æternam sedem ac lucem,
in qua sine peccatis, sine errorib. sine caligine Dei
sapientia fruamur, proficiscendi. Quare te quoque
adhortor, ut animum à luctu abducas, et iam de ad-
iuuanda Ecclesiæ uestra cogites. Ut in acie milites su-
persites non decet frangi animo, si quos uident an-
te se extinctos esse, sed ut in eorum succedant uesti-
gia: sic nos non deseramus traditam functionem: et
preceamur Deum, ut nobis adsit. Scis Christum Do-
minum nostrum resurrexisse, ut nos qui ipsum in-
uocamus gubernet: ascendit in cœlum, ut dona det
homini-

hominibus. His cogitationibus ut animum erigas, te etiam atq; etiã obtestor. D. Martinus aberat, cùm tuæ literæ adferrentur: postea non potui occupatum ad scribendum hortari. Saluta Dominum Paulum. Bene uale.

D. Vuenceslao Lynco, Doctori Theologiae, Philipus Melanchthon
S. D.

Misit huc ad Principem nostrum dux Georgius, exemplum cuiusdam epistolæ à te scriptæ, ac uidetur uehementer iracundus auctori. Id tibi significandum duxi, ut cautor esses in posterum in * aduersandis literis huius generis. Plena sunt omnia fucatis amicis, quorũ simulatione uide ne alijs in rebus decipiaris. Miror quis sit, qui hanc epistolam nõ ueritus est ad Georgium perferre. Tu suscipi cari facile poteris. Neq; enim ignoras, cui ad transscribendũ dederis. Inde ratiocinari cætera poteris. Quæso te significes mihi, per quos tam late propagatam esse hanc epistolam existimes. Vale, ex Buciano.

D. Ioanni Pomerano Philippus Melanchthon S. D.

Valde gratam rem mihi fecisti, quòd ad me tam diligenter de rebus tuis scripsisti. Ego uicissim scriberem,